

2063

## C O D I C E S

2064

dein Theologus et Academiae Rector pugil inclaruit scripto primum de *Periculis novissimorum temporum* Tractatu, quem Alexander IV. flammis Anagniae devovit, tum praesenti Opere, quod animo infraetus 1266. Clementi IV. mittere non dubitavit. Constat Prologo, qui incipit: *Sapientiam antiquorum omnium exquiret sapiens &c.* dein V. *Distinctionibus*, quarum primae initium est: *Prima ergo distinctione huius tractatus ad sciendum qui sint pseudo predicatorum et penetrantes domos &c.* Ultimae finis: *cui data est omnis potestas in celo et in terra, ut legitur Matth. ult. per infinita secula seculorum Amen.* Accedit tabula lemmatum L. hoc rubro: *Hec sunt signa quibus pseudo predicatorum a ueris predicatoribus possunt discerni.* Ne pluribus immorer, Editio et huius et aliorum *Guilelmi* Operum facit, quae *Parisiis* a *Job. Cordesio*, ut putatur, procurata in fronte impressa dicitur *Constantiae ad Insigne Bonae Fidei apud Alitophilos.* 1632. 4. Praefixam habet luculentam de *Libris et Doctrina Magistri Guillelmi de Sancto Amore diaconi*, ad quam Lectorem remitto, id addere contentus, *Guilelmum*, quamvis *Dominicanos* plurimum impetierit, haereseos labe, quam ei liberalius quidam adspersere, purgari a Viro rectissimo *Nat. Alexandro* T. VII. *Hist. eccl.* p. 93. Codex noster in hanc notam definit: *Iste liber est scriptus parisiis pro magistro alberto de Boe-*

*mia tunc rectore uniuersitatis parisiensis. exeunte. per manus iohannis dicti crispus. quem compleuit Anno domini. M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.56. die. 7<sup>ma</sup>. mensis marcij tempore carnispruij quo tempore festum translationis beati Wenceslaj die ueneris proxima ante carnispruium contigerat celebrandum. Albertum hunc in Caes. Egassii Bulaei Hist. Univ. Paris. T. IV. p. 948. inuenio ad an. 1349. Procuratorem Nationis Anglicanae, et ad an. supradictum 1356. Rectorem. Audit ibi Albertus de Praga familiaris Clericus Serenissimi Principis et D. D. Caroli Romanorum Regis semper Augusti et Bobemiae Regis; id quod suspicionem movere cui posset, Albertum Rankonis Cod. alio memoratum, et hunc Albertum unam eandemque esse personam; quod enim Bulaeus ait, Albertum etiam de Alto Castro cognominatum fuisse, id perperam ab Alberto de Hobenberg, qui apud Bulaeum in Catal. illustr. Academicorum nostrum sequitur; ad hunc translatum esse videtur.*

## DXLIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 156 XV. Folior. 105. f. lineis ad densatis, ceterum bene scriptus et rubro distinctus continet *Varia Theologici argumenti*, prout hic edifferemus. I. *Guillelmi de S. Amore Collectiones Catholicae et Canonicae Scripturae*, ut Cod. praeced. ex quo Codice multum etiam correctae et subpletae sunt,

2065

P O L E M I C I

2066

sunt, ut sequens nota in ora fol. I. docet: *Collacionatus est hic tractatus cum libro eiusdem tenoris qui scriptus fuit anno 1356. die 7. mens. Martij. parisius pro Magistro alberto de Bohemia tunc rectore Vniuersitatis parisiensis: per manus Johannis dicti Crispus. Praeferunt vero hic titulum miniatum hujus modi: Incipit scientia ad cognoscendum pericula Ecclesie generalis. que propter ypocritas pseudopredicadores peruerentes domos. ociosos. curiosos. gyrouagos. presentes et futuros introduci debet. et de signis eorum. et qualiter vitari debent. eciam et puniri. edita per expertum in scientia Theologie Magistrum Johannem. alias vilhelmum de sancto amore. Extant hae Collectiones inter Opera Guillelmi impressa p. III. ut diximus ad Cod. mox cit. quo te refer.*

II. fol. 77. *Incipit prefatio beati Augustini de opere monachorum superscripto in libro per diuersa loca allegato. Praefatio haec locus est Augustini in II. L. Retrahat. ubi de praesenti Opusculo loquitur, quod nobis Capp. XXXI. definitur, et collatum cum edit. Mauriana T. VI. col. 475. in verbis C. XXX. se potissimum corrigendos, deficit.*

III. fol. 86. *Honorii III. P. R. Adprobatio Regulae O. Minor. Incipit: Solet annuere Sedes apostolica piis votis &c. Finit: Datum latrano. tercio klas decembris. pontificatus nostri anno octauo, id est 1224. Extat in Bul-*

*laruo Romae impresso T. III. P. 1. p. 229.*

IV. fol. 87. *Articuli reprobatii per extravagantem Johannis pape XXII. Vas electionis &c. Sunt Johannis de Poliaco, de quo alibi, ut in Indice. His adhaerent breviora Collectanea, v. g. Intrare per angustam portam quid sit. De Scientia Demonum circa naturalia. Quod mali peiorantur ex vita bonorum &c. decerpta partim ex Chrysostomo in Marth. Hugone a S. Viç. Isidoro Hispal. Petroque Damiani.*

V. fol. 93. *Innocentii IV. P. Rom. Literae de Juribus Parochialibus ad Regulares. Initium: Et si animarum affectantes profectus &c. Datae XI. klas. decembris Neapoli pontificatus nostri Anno XII. id est 1254. septem diebus ante mortem. Exhibet eas Eg. Bulaeus Hist. Univ. Paris. T. III. p. 270.*

VI. fol. 94. *Declaratio Clementis IV. P. Rom. ad Magistrum et Fratres Ordinis Praed. super licentiam concionandi, confessiones excipiendi &c. Incipit: Quidam temere sencientes et ad sobrietatem sapere nescientes &c. Notae chronologicae nullae. Non extat in Bullario Rom. nec in Collect. Concil. sed in Privilegiis Ord. impressis Mediol. 1505. n. 61. 4. data perusii. VII. kal. Julii pontificatus anno primo, id est, 1265.*

VII. fol. eod. *Martini IV. P. Rom. Privilegium Ordini Minorum et Praedicatorum datum ad easdem*

2067

CODICES

2068

easdem sacras functiones. Incipit: *Ad fructus uberes, quos in agro dominico &c.* Nullis notis chronologicis munitum; sed extat inter *Privilegia cit. n. 68. datum apud urbem ueterem. III. Idus Januarii pontificatus anno primo, id est, 1282.*

VIII. fol. 94. p. 2. Gravamina *Praelatorum Franciae* contra supra dicta *Mendicantium Privilegia*. Initium: *Occasione priuilegij huius inter prelatos et religiosos predictos utriusque ordinis super tribus altercatio est exorta &c.* Tria haec sunt, quod *Mendicantes* adferant, licere sibi praedicare non tantum sine uenia *Episcoporum*, sed etiam iis inuitis; dein posse se absolvere etiam in *Casibus* Pontifici reservatis; denique homines apud se de peccatis confessos non teneri de iisdem apud *Parochianos Presbyteros* confiteri. Ex decursu patet Gravamina haec delata esse ad *Nicolaum IV.* qui an. 1288. electus fuit, idque ex Decreto Concilii *Remensis* anno praeced. celebrati, quod habes T. XIV. *Collect. Concil.* edit. *Venetae col. 1077.* Ab hoc uero, qui ipse ex *Ordine Min.* adsumtus fuisset, rem in medio relictam queritur *Egaff. Bul. suprac. T. III. p. 507.* qui pluribus bella isthaec nullos habitura triumphos persequitur, quin tamen Scriptum praesens inferat, quod ineditum putem.

In Codicis theca anteriore legitur: *Ex bethelemiticis, id est, ex Codicibus olim ad Ecclesiam*

*Pragenam dictam Bethlehem, in qua Job. Hussus ad concionem dixerat, pertinentibus. Folio praevio alia manus adscripsit: Habui dono a Mystopolo (Administratore Archiepiscopatus pro Utraquistis) 24 aprilis 57. praga. Thecae demum posticae locus quidam Augustini bohemice reditus adhaeret.*

DXLV.

Codex membranaceus lat. Sec. <sup>316</sup>  
XIV. Folior. 20. f. per duas columnas probe exaratus, rubricis distinctus, olimque ad *Pragensis Caroli IV. Collegium* pertinens Primo inscribitur: *Iste liber tractat de periculis que euenient circa finem mundi.* Et mox rubro: *Tractatus breuis de periculis nouissimorum temporum ex scripturis diuinis exceptus.* Initium Prologi: *Ecce uidentes clamabunt foris &c. Guilelmi de S. Amore τὸ Μισομοναχῶν Opus, in XIV. Capita distinctum, Codd. pluribus indicatum, et inter Ejus Reliqua an. 1632. fideo Constantiae nomine p. 17. 4. impressum. Caput ult. nobis ita finitur: Illi ergo predicatorum qui procurant amicicias huius seculi non sunt ueri apostoli sed pseudo et maledicuntur a deo et ihesu christo domino nostro per infinita secula seculorum Amen.* Pro quo *Edita* integram paginam ultra excurrunt. Verum nobis prolixus *Augustini* locus: *Sunt quidam in ecclesia christi qui uolunt esse humiles sine despectu — omni ueritate carentes,*